

elegit scientiam instar ejus, qui dixit:¹ ‚Super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam et proposui pro luce habere illam, et venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.‘ unde idem contractus quidem corpore, sed dilatatus mente, ad laudem Dei et sanctorum ejus plurimos cantus eximios profunditate dictaminis et dulcisonos suavitate modulaminis edidit. qui veniens Romam in ecclesia beati Petri ‚Simon Barjona‘ et in ecclesia beati Pauli ‚O gloriosum lumen‘ et in ecclesia Beate Virginis illam elegantis dictaminis et modulationis antiphonam ‚Alma redemptoris mater‘, ut dicitur, auctor ipse primus omnium dictavit. hic itaque et hujus sequentie quoad dictamen pariter et modulamen² auctor extitit, cujus melodie jocundissima³ suavitas patet audienti, verborum vero mistica intelligentia in hujusmodi declaratione patere⁴ poterit intelligenti. in cujus fine miraculorum pretactorum insignia expleto proposito subjungantur.

Hiis igitur breviter prelibatis predictam sequentiam in partes suas distinguamus, ut per divisionis summariam cognitionem ad ejus declarationem viam ordinatius habeamus. dividitur itaque ipsa sequentia in tres partes principales: in prima ponitur devota salutatio ‚Ave preclara‘,⁵ in secunda multiplex commendatio ‚Euge Dei porta‘,⁶ in tertia supplex oratio ‚Hic gentium‘.⁷ — notandum autem ad litteram, quod *stella maris* appellatur illa, que juxta polum articum sita nunquam occidit, secundum quam navigantes in mari se regunt, et ideo *stella maris* vocatur. — unde quidam ait:

Porta salutis Ave, per quam patet exitus a Ve
Venit ab Eva Ve, Ve quoque tollit⁸ Ave.

Die Erklärung wird in der Weise unternommen, daß jede Wortgruppe zuerst in Zusammenhang mit einer Stelle der h.

¹ *Frei nach Sap. 7, 10 f.*: Super salutem et speciem dilexi illam et proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen ejus. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas per manus illius.

² *medulamen* *Hs.* ³ *Vorher suavissima getilgt* *Hs.*

⁴ *Am Rande nachgetragen.* ⁵ *preclaris* *Hs.* ⁶ *2. Versikel.*

⁷ *5. Versikel bei Mone Nr. 555, 8. bei Kehrein Nr. 254.*

⁸ *callit* *Hs.*